

antiquitate & excellentia eminent supra omnia cantica, vel hymnos, qui ab antiquitate ethnica nobis fuerunt relictī, ut a Museo, Orpheo, & aliis. (f)

Thef. III.

Ingens cum primis eorum usus esse cœpit in Sacris Israelitarum.

Ex 9.

§. I. **S**icut enim Levitis officia sacra præ reliquis Israelitis sunt demandata; sic iidem etiam canere ad sacrificia, & reliquum DEI cultum, sunt iussi, sed ordine, ut apparet, incerto, usque dum eundem David instituit. Hic enim cum totam Levitarum tribum in tres maxime familias distributam videret, *Gersonitarum*, *Kathathitarum*, & *Meraritarum*, singulis quidem familiis Primicerium, qui *1. Chron. VII. ἀρχων τῶν ἑδῶν*, nominatur, præposuit; Gersonitis quidem *Assaphum*, Kathathitis *Hemanum*, Meraritis *Ethanem*, qui idem & *Jeduthun* alicubi appellatur. Hi enim tum temporis in arte musica excelluisse, & dotibus etiam Spiritus S. singularibus floruisse, videntur. His suberant Cantorum *Magistri*, quos inter suum quisque ordinem gubernabat. Quum enim tres illi primicerii quatuor & viginti haberent filios, Assaph IV. Heman XIV. Ethan VI., viginti quatuor exinde ordines sunt nati, quibus singulis Magistrum quendam præesse voluit Davides, quod ex *1. Chron. XXVI.* patet. (g)

§. II. Neque tamen, quibus Levitæ ante Davidem carminibus sint usi, constat. Nulla enim t. t. extitisse leguntur, præter Canticum Mosis, *Ex. XV.* & *Deboræ, Jud. V.*

B 2

Hannæ

(f) ad Exodi caput XV. p. 361. (g) Vid. M. Waltherus in introitu ad Psalt. Sacrar.